

DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
PRINCIPIO SVCCESIONIS GENTILICIAE
APVD
VETERES ROMANOS

2.
1788,
2

QVAM
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS RITE OBTINENDIS
D. XXVII. SEPTEMB. MDCCLXXXVIII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIIICIT
IOANNES CHRISTOPHORVS DVISBERG
LVIDENSCHEDA - GVESTPHALVS.

HALAE,
APVD FRANCKE ET BISPINK.

PRINCIPIO SVONORONIS GENTILICAE
PERILLVSTRI AC OBSPEROSISSIMO
BISSELTATIO INAVOVALIS

CAROLO CHRISTOPHORO DE HOFFMANN
VETRES ROMANOS

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
EX DECRETO RECTORIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS

IN HONOREM SVONORONIS GENTILICAE

PUBLICO RECTORVM EXAMINE

IOANNES CHRISTOPHORVS DVISBERG

HAJAE
ABD. FRANCKE ET HERRN.

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO
CAROLO CHRISTOPHORO DE HOFFMANN

ACADEMIAE FRIDERICIANAE CANCELLARIO
AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGIA CONSILII IN-
TIMIS SERENISSIMO PRINCIPI BORVSSORVM
HENRICO A REGIMINE CVRIAE QVAE RES
CAMERALES DIRIGIT DYNASTAE IN
DIESKAV ET BRVCKDORFF

IN

REVERENTIAE ET PIETATIS MEMORIAM
SACRVM.

X 2

REVERENTISSIMO AC GENEROSISSIMO

DOMINO

CAROLO GUSTAVO PRINCEPS DE HOLTSMANN

ACADEMIAE FRIDERICIANAE CANCELLARIO
AUGUSTISSIMO TORVENSIS REGIS A CONSILIIS IN
SUIS PRINCIPALISSIMO PRINCIPALI TORVENSIS
HENRICO A REGINAE CAROLAE QUAE REGIS
CANCELLARII DIGNITATE ORNATA IN
DIEBUS ET BRUGIS

IN

REVERENTIAE ET FIDELITATIS MEMORIA

CAROLUS

X



Nondum sane ego, qualecunque edere scriptum, mecum constituisssem, nisi Illustris Iurisconsultorum Ordinis instituta me, fummos in jure honores jamjam ambientem, urgerent merito ad dandum publice ali- quod juris studii specimen, quo, quid profecerim, iudicaretur, et an dignus sim, qui sacris Themidis initier. At enim vero juris studium, parum cui hucusque temporis impendi, multum laboris, ita in me semper fuit comparatum, ut cum Gato *) *nil, nisi quod ex omnibus suis par- tibus constaret, perfectum et cujuscunque potissimam partem principium putarem.* Proinde in discendo jure ad ejus fontem, quantum potui, nunquam non remeavi. Quid igitur me, studiorum rationes redditurum, magis deceat, quam, rationum instar, disquisitionem principii cu- jusdam juris materiæ æquo subjicere Jurisperitorum iudicio? Nec est, quod anxius sim in materia eligenda, cum non tam referat, quid eligam, quam quid in eo, quod elegerim, præstem. Cum igitur omne fere tempus omnesque ingenii vires, quas exiguas equidem sentio, dicasssem hætenus præprimis **juri**

*) L. I. pr. D. de Orig. Iur.

juri Romano, inde successionem ab intestato Gentilium, seu successio-
nem, ut audit Suetonio *), Gentilicium lege XII. Tabularum ordinatam
**), tractandam mihi sumsi, tentaturus, an ejus verum principium at-
que genuinum, quod in ista successione ordinanda animum rexerit De-
cemvirorum, e canae vetustatis tenebris evolvere possim.

§. 1.

Quaestio de hocce principio jam saepe inter Themidis Romanae cultores agitata, varias eorum produxit sententias. Istud enim principium invenisse se putant plerique in conservatione Gentium Romanarum; BREUNINGIUS in communione sacrorum privatorum: MONTESQUIEVUS in aequali agrorum inter Gentes Romanas divisione, a Romulo facta et perpetuo deinceps conservanda: cl. denique HUGO in exclusione feminarum a successione ab intestato. Quas varias igitur sententias ante omnia examinare nos oportet, ne, sin earum aliqua id, quod quaerimus, offerret, frustra laboremus.

§. 2.

Cl. HUGO ***) feminas jure Quiritium antiquo exclusas existimans a successione ab intestato, inde derivat exclusionem Cognatorum, et Agnatorum Gentiliumque successionem. At istius conclusionis fundamentum gravia quaerunt veterum testimonia: DIONYSII ****) videlicet, qui uxorem, refert, per confarreationem conventam in manum mariti, eo mortuo intestato, in bona ejus successisse lege Romuli, ut filia in patris; LABEONIS †) qui in commentariis ad XII. Tabulas de virgine vestali, quod ea neque heres sit cuiquam intestato, neque intestata quisquam, tradidit tanquam jus

*) in Julio c. 1.

**) Fragm. XII. Tab. in Tab. V.

***) Comment. de fundam. success. ab intest. §. 4.

****) Antiquitat. Roman. Lib. II.

*****) A. CALL, Noß, Attic, Lib. I. c. 12.

singulare, quod in aliis feminis non obtinuisse colligere est. PAULLI *) qui nullam sexus discretionem servasse legem XII. Tabularum, diferte testatur: sacratissimi denique imperatoris, IUSTINIANI **) qui, *lex inquit, XII. Tabularum — simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes agnatos, sive masculos, sive feminas, cujuscunque gradus, ad similitudinem suorum, invicem ad successionem vocabat. Horum autem testium fidem facit suspectam Cl. HUGONI:*

I) *Conditio feminarum ***)*, quæ comitiis, senatu, foro, judiciis, armis prohibita, ni pacis ni belli tempore tueri poterant patrimonium, illa videlicet tempestate, qua ob perpetuos hostium incursus, valido defensore opus erat. At viri acumen effugisse videtur, quod isti feminarum infirmitati succurrerint legumlatores Romani feminarum tutela, quæ ab iis, prima Reipublicæ Romanæ ætate, introducta jam videtur HEINECCIO ****). Et cum feminae puberes, patrimonii incapaces, vix indignissent tutoribus, istud vel solum institutum, feminas, sicuti mares, habuisse patrimonia et acquisivisse iure Romanorum antiquo, nobis persuadere possit.

II. *Lex ipsa Decemvralis, in qua de successione feminarum nil expresse cautum invenit Cl. Hugo †).* At enim vero pauca tantum XII. Tabularum fragmenta nostram tulere ætatem, in quibus, quæ cauta non sunt, illis utique exulasse tabulis, non recte inferri mihi videtur. Et quid impedit, quo minus verba, in lege successioneis a Decemviris, brevitate maxime studiois, in sexu masculino pronuntiata ad feminas extendamus? cum ULPIANUS ††) in libro XLVI.

A 2

ad

*) Sentent. Recept. Lib. IV. Tit. VIII. §. 23.

**) §. 3. Inst. de legitim. agnat. success.

***) Comment. cit. §. 8.

****) Antiquitat. Roman. Lib. I. Tit. XIII. §. 16.

†) Comment. cit. §. 8.

††) L. 195. pr. D. de. verb. signif.

ad edictum, ubi, ut notat GOTHOFREDUS *), de legitimis successio-
 nibus agens legem interpretatur XII. Tabularum, tradit: „*pronun-
 ciatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plerumque
 porrigitur.*“

III. Plebiscitum Voconium, quod quidem ad solas ex testamento heredi-
 tates refert cl. HUGO **): et cum feminas vigente lege Voconia, et
 arcitas fuisse legitimis hereditatibus, recte colligit PERIZONIUS ***)
 ex Q Fadii exemplo, a Cicerone memoriae prodito, vir ille eruditus
 concludit ex sua assumptione, istam exclusionem non promanasse
 ex lege Voconia, sed jam ante eam latam, nunquam non obtinuisse
 in Republica Romana. At quam firmo stet talo ista cl. HUGONIS as-
 sumptio, videamus. Nam DIO CASSIUS ****) ita scribit de Augusto:
 τῶν τε ὑπαίτων τισὶ καὶ παρὰ τὸν Οὐκαίωνα νόμον, καθ' οὗ ἑδέμεθα αὐ-
 τῶν ἕδεναι ὑπερὶ δύο ἡμισυ μυριάδας ἑσίας κληρονομεῖν εἶναι, συνεχώρη-
 σε τὸ τοιοῦτον. Ex quo loco, PERIZONIO †) interpretante, pro-
 cedit, feminas ab iis, quae summam centum millium sestertium ex-
 cedebant hereditatibus, sive lege delatas, sive testamento, prohi-
 bitas fuisse lege Voconia. Nec contra istud Dionis testimonium cl.
 Hugonem tuetur CICERO ††), qui verbis, *ne quis heredem virgi-
 nem, neve mulierem faceret* plebiscitum Voconium referre vide-
 tur ad testamenta. Cicero enim non totum hic exhibet plebiscitum
 sed ejus aliquod, quod ad testamenta, de quibus edixerat Verres,
 pertinebat, fragmentum, ex quo, totum plebiscitum sola spectasse
 testamenta, Dione contradicente, colligi nequit. Destructo vero cl.
 Hu-

*) EVERH. OTTO Thef. Iur. Roman. Tom. III. p. 99.

**) Comment. cit §. 10.

***) Diff. de leg. Vocon. in Diff. Triad. p. 117.

****) Lib. LVI.

†) Diff. cit. p. 107.

††) Verr. I. c. 42.

Hugonis fundamento, conclusio ei superstructa corruat necesse est. Salva itaque manet Veterum testimoniorum fides, unde apparet dilucide, feminarum exclusionem a successione ab intestato ignotam fuisse juri Quiritium antevoconiano, tantum abesse, ut ista esse possit principium successione gentilitia.

§. 3.

MONTESQUIEVUS *), accerrimi ingenii vir, agros inter Gentes Romanas æqualiter divisos, et, ut ista perpetuo conservaretur æqualitas, successione gentilitiam introductam fuisse statuit. DIONYSIUS **) quidem Romulum divisisse, refert, agrum Romanum, exempto agro publico et sacro, in triginta æquales partes, et unicuique curia unam partem sortito attribuisse, ut summa inter omnes cives esset æqualitas. At quam incerta sit istius obscuræ ætatis historia Romana, in iis videlicet rebus, quarum clarior Quiritium æra nulla præbet vestigia, id sane nemo, qui BLAUVORTIUM ***) consuluerit, ignorabit. Et si unquam facta fuerit æqualis inter Gentes Romanas agrorum divisio, ejus tamen conservandæ ne ullum quidem legislatio Decemviralis prodit vestigium, quale in legislatione, quæ eo tendebat, Hebræorum observatum est SELDENO ****). Ista enim iubebat, ne quis testamento institueret heredem, præter eum, qui ex lege heres esset; ne quis exheredaret heredem legitimum, nisi simul accesserit institutio heredis, ad quem lege pertinebat hereditas; ne quis alienaret fundum in excisionem, ut ab alienante ejusque heredibus perpetuo excidatur: ista jubebat, ut proximus agnatus venditum a paupere agrum redimeret; ut anno Iubilæi fundus quisque alienatus ad priorem suum dominum ejusve heredes rediret. Nil horum, quæ æqualitatis spirant conservationem, invenire est in tota, qua patet, legislatione Decemvirali, quæ nimis favebat libertati civium Romanorum, quam

*) l'Esprit des loix Liv. XXVII.

**) Antiquitat. Roman. Lib. II.

***) Republique Romaine dans l'introduit.

****) de success. ad leg. Hebræor.

quam ut bonorum æqualitati valde studere potuisset: quæ liberam alienandi, liberam et testandi dabat facultatem æqualitati internecinam; quæ proinde in statuenda successione gentilicia æqualitatis servandæ principium, quod alibi nusquam apparet, observasse non potest censerî, si modo aliud, quod per totam manat legislationem Romanorum antiquam, animadverti queat. Quod vero an possit, et recte discedatur a Montesquievi sententia, in fine demum hujusce opellæ liquebit.

§. 4.

BREUNINGIUS, dignus profecto Themidis Romanæ cultor, communionem sacrorum privatorum ita tradit successione gentiliciæ principium: *) *ut, cum ad certas personas leges sacra devolverint, ad eandem quoque bona seu pecunia veniat*“. Quam sententiam vir eruditus sic explicat **): „Cum conservationis sacrorum ratio causam legi dederat, ut sacra ad agnatos, iis vero deficientibus, ad gentiles venirent, habes originem legis decemviralis, ut, si cui suus non sit heres, quippe qui sacrorum communiõne gaudeat, seu potestati patriæ subsit, hereditas seu pecunia veniat ad agnator, ad quos videlicet veniebant sacra, et his demum deficientibus, succedant gentiles, qui tum sacrorum erant heredes“. Lubenter adsentirer Breuningio, sin eam, quam statuit de sacrorum hereditate legem, a legumlatoribus Romanis statutam docuisset. Scio equidem, sacra patrisfamilias, quorum eo vivo jam participes erant, jure sacrorum Sui, penes eos quamvis exheredatos, remansisse mortuo patrefamilias, sique propagata ad posteros, causam dare potuisse istorum successioni in pecunia, ut ea videlicet sufficerent posteri sumptibus sacris impendendis: rediisse vero jure sacrorum patrisfamilias defuncti sacra, deficientibus Suis, ad Agnatos Gentilesve, etsi istorum sacrorum haud participes vivo patrefamilias et ab eo exheredatos, sique in sacris, quæ sumtus exigebant, successione Agnatorum Gentiliumve, causam dare potuisse eorum successioni in pecunia — ea de re tota, quantum scio, antiqua legislatio Romana altum tenet silentium. Quin potius

*) Diff. de Orig. success. in Caus. intest. §. 2.

***) Ibid.

7

potius in contrarium me dimovet CICERO *), qui, „*hæc iura, inquit, pontificum auctoritate constituta sunt, ut, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia venerit*“.

Quod si enim lex erat, secundum quam sacra patrisfamilias, eo mortuo et deficientibus suis, ad Agnatos redibant Gentilesve; an unquam metuendum fuisset, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret? Nonne ad Agnatos rediissent sacra Gentilesve sine ullo occasus metu? At sacra exigebant sumtus, quibus si non sufficerent Agnati Gentilesve, sacra interirent necesse erat, quamvis perventa ad illos lege. Ea itaque lex causa erat, ut pecunia iis esset adjuncta, ad quos morte patrisfamilias sacra venerint. Palmam porrigerem Breuningio, si rem ita tradidisset Cicero. Secundum hunc vero scriptorem, omnia sese habent conversa. Tradit enim ille **): „*ut iis essent sacra adjuncta, ad quos morte patrisfamilias pecunia venerit*“ et totam in sacris successione accommodatam tradere pergit ad successione in pecunia. Hinc heredum causa iustissima; hinc deinde ejus, qui morte testamentove tantumdem cepisset quantum omnes heredes: hinc tertio loco ejus, qui de bonis usu cepisset plurimum possidendo; hinc quarto ejus, qui creditor plurimum servasset; hinc denique ejus, qui pecuniam debuisset, neminique eam solvisset. Quæ iura constituta tradit Cicero auctoritate pontificum, una hac lege posita: *sacra privata perpetua manent* — nec ullam facit mentionem de in sacris successione legis, quam statuit Breuningius, tanquam normam successione in pecunia: sed sacra potius tradit ***) conjuncta cum pecunia, auctoritate pontificum, nulla lege — tantum abest, ut ista lex norma sit atque principium successione gentilicia.

§. 5.

Communis jam restat Iureconsultorum de successione gentilicia principio sententia animo perpendenda, quam inter alios forent HEI-
NEC-

*) De Legib. Lib. [II. c. 19.

**) Ibid.

***) Ibid. c. 21.

NECCIUS atque TRECKELIUS. magni nominis viri, qui istud principium
fitum existimant in conservatione Gentium Romanarum.

Certum quidem est, ex dignitate, opibus atque splendore Gentium Romanarum, natam fuisse earum vim in Republica Romana, et magnum inde exarsisse Romanorum Gentes conservandi studium, quod et legislatio spirat Romana in stabiliendo Gentium statu, quippe qui, sicuti et successio gentilicia inde oriunda, eo absque dubio tendit: nihilomagus tamen in isto conservationis principio acquiescere licet. Sit sane, ut inde derivari queat Cognatorum exclusio: quæ vero successio mulierum, conservationi Gentium tam noxiæ, ut ei deinceps plebiscito Voconio melius consulendum fuerit — quæ successio gentiliciæ ordinis, in quo primi erant Sui, deinde Agnati, postremi Gentiles — quæ ex isto principio reddi poterit ratio, cur iste ordo magis placuerit Decemviris, quam alius quilibet, quam primogenitura, quam majoratus alique succedendi ordines, quos Germaniæ illustres familia conservationis gratia sibi statuere? Necessè itaque videtur, ut præter istud conservationis principium et aliud, quod illud quasi rexerit, animis inhæserit Decemvirorum in ordinanda successione gentilicia. Ejusmodi vero principium in communiōe bonorum recte animadvertisse mihi videtur *Cornelius van BYNCKERSHOEK* *) elegans Batavorum jureconsultus, qui in antiquæ Romæ Gentibus bonorum obtinuisse tradit communiōem, eamque duxisse originem ex illarum statu seu conditione civili. Quem vero evolvere statum e veterum monumentis atque illustrare, tum docere, qui inde orta sit bonorum communiō et qualis, unde successio gentilicia derivari queat — id maximam partem reliquit Vir summus alius, qui ejus sententiam aliquando amplecterentur, quibusque ingenium esset et eruditio et animus premeendi vestigia, quæ ille tantum indigitavit. Equidem non sum is, qui, illis dotibus animi præditus, otium hic facere possim eruditus, contentus, si modo non nihil præstiterim, aliosque, antiquitatis apparatus magis instructos ad meliora tradenda et perfectiora excitaverim. Tentabo igitur pro exiguis ingenii viribus, an *Cornelii* sententiæ quid lucis affundere queam

*) Obf. Lib. II. c. I.

quam, eamque reddere magis probabilem. Meum proinde erit, statum delineare Gentium Romanarum, tum inde deducere bonorum inter Gentiles communionem, eamque tandem ostendere successione gentilitiæ principium. En instituti rationem!

§. 6.

Quod itaque ad conditionem veteris Romæ Gentium earumque rationem civilem attinet, ante omnia observandum est, illas Gentes, præter naturale sanguinis vinculum, omnium terrarum et populorum commune, et aliis colligatas fuisse vinculis civilibus Quiritium propriis: sacrorum videlicet, sepulcrorum, dignitatis atque nominis communionem, de quibus sigillatim pauca quædam, et ad rem nostram scitu maxime necessaria delibare, quantum instituti fert brevitatis, lubet, antequam ipsam aggrediamur Gentium Romanarum delineationem, quæ sine istorum aliqua cognitione utique intelligi nequit.

§. 7.

SACRA, id est, *feriæ, hostiæ et ceremoniæ, quibus veteres Romani colebant deos*, potissimum fuisse videntur vinculum, quo illorum legumlatores tum universam civitatem Romanam, tum singulas eius partes devincire voluerint. Istorum enim sacrorum, alia, ut tradit FERTUS*), erant *publica*; alia *privata*: illa scilicet pro populo instituta erant; hæc pro singulis Gentibus. Sacra publica a legumlatoribus Romanis, ut refert DIONYSIUS**), instituta erant aut pro universo populo, ut sacra Vestæ, quæ pro illo peragebantur a Vestalibus; aut pro singulis tribubus, ut sacra, quæ tributim faciebant tribuni Celerum, ante regnum Servii Tullii eiusque mutatam tribuum divisionem, ex qua quidem pro tribubus urbanis sacra Compitalia, Paganalia pro rusticis celebrari cœpisse videntur; aut pro singulis curiis, ut sacra, quorum cura erat

*) De Verb. signif. Lib. XIV.

**) Antiquitat. Roman. Lib. II.

penes curiones. Tota itaque civitas Romana, deinde quælibet in ea tum tribus, tum curia sacrorum publicorum communione confociate erant quasi ecclesiæ, sin nomine christiano designare liceat institutum paganum, quod eximiam legumlatorum Romanorum spirat prudentiam. Ilius enim opæ non solum *patricii*, penes quos primis civitatis Romane temporibus omnis, teste *DIONYSIO* *), cura erat sacrorum publicorum, multum valebant religione apud populum eumque facile ad suum arbitrium regebant; sed tota etiam civitas eiusque partes, tribus et curiæ, ita erant devinctæ sacerorum societate, ut caritas patriæ, quæ tanta erat penes Romanos, ut secundum *CICERONEM* **), *nullus bonus dubitaret mortem oppetere pro patria, si ei sit profuturus*, inde potissimum nata videatur. Quod cum argumentum præclare jam tractavit *BEAUFORTIUS* ***), id longius hic persequi nec necesse est, nec instituti fert brevitatis. Sed ne in iis quidem sacris publicis acquievere legumlatores Romani, quorum ex instituto quæcunque Gens Romana, teste *MACROBIO* ****), *sua celebravit sacra privata, quorum communione confociata illa secta quasi erat religionis*. Naturam vero istorum sacrorum tam publicorum, quam privatorum eorumque indolem animo penetrandi nemini nunc mortalium facultas erit: quoniam religionis arcana nec prodita unquam in civitate Romana, nec intellecta sunt, nisi a pontificibus ipsis, qui suos habuerunt libros, in quibus ritus omnes ac ceremoniæ explicarentur, quæ nobis maxima ex parte exciderunt, ut scribit *GUTHERIUS* †): qui proinde ingenue fatetur ††), *se nescire absconditum jus illud, de quo Veteres pontifices solos et consuli, et scire voluerunt*. Libros enim, pergit ille, *temporum arripuit injuria, quos, litteris ignorabilibus prænotatos, pauci intelligebant, ut ipsa etiam verba ab ultimis temporibus et oblitteratis repetita*.

*) Antiquitat. Roman. Lib. II.

**) De Offic. Lib. I. c. 17.

***) Republique Romaine Liv. I. c. 6

****) Saturnal. Lib. I. c. 16.

†) De Iur. Pontific. Lib. I. c. 3.

††) Ibid. c. 2.

Id modo, præeunte WOODIO *) teneamus de sacris privatis: *alia fuisse Gentilicia; alia Domestica: illa videlicet pro universa aliqua Gente instituta erant; hæc pro singula aliqua in Gente domo: illa communia erant omnium inter se Gentilium; hæc eorum tantum, qui ejusdem domus erant.* Quod si vero credere fas est, quod utique esse mihi videtur, Ciceroni, leges, optime Reipublicæ, quam ipse putabat **) illam veterum Romanorum, consentaneas, roganti, qua de rogatione tum ipse inquit CICERO ***) si que forte a me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra Republica nec fuerint, tamen erunt fere in more majorum, qui tum, ut lex, valebat: tum ATTICUS ****): *ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numæ nostrisque moribus.* — Quod si itaque fides Ciceroni, de illis sacris privatis et Gentiliciis, et Domesticiis lex erat Romanorum antiquissima: *sacra privata perpetuo manent* †) id est, interprete ipso CICERONE ††): *conserventur semper et deinceps familis prodantur.* Secundum istam igitur legem, sacra Gentilicia propagabantur per Gentiles omnes, Domestica vero per Suos, qui cum morte patrisfamilias proprias, testante ULPIANO †††), inciperent habere domos, sacra paterna transferre debebant in istas, quæ, ut idem ait ULPIANUS ††††), pro una familia seu stirpe habebantur. En! originem sacrorum Familiarium, communium videlicet eorum, qui ejusdem stirpis erant. Illius autem legis, a Cicerone memoriæ proditæ, rationem quidem reddit religiosam WOODIUS †††††): at legumlatores Romanos instituyendo sacra privata et aliam secutos esse opinor rationem et politicam atque similem ei, quam

B 2

sacræ

*) Diff. de Hereditat. sacror. privat. §. 3.

**) De Legib. Lib. II. c. 10.

***) Ibid.

****) Ibid.

†) Ibid. c. 9.

††) Ibid. c. 19.

†††) L. 195. §. 2. D. de verb. signif.

††††) Ibid.

†††††) Diff. cit. §. 6.

sacra produnt publica, ut scilicet Gentes colligarent perpetuo religionis vinculo eoque concordia devincirent inter se Gentiles, et caritate, et fervido, sese invicem adjuvandi, studio. Illis enim temporibus, cum Carthaginis opes atque Asia nondum corrupissent puros veterum Romanorum mores, nec evertissent omnem ex eorum animis religionem; cum Romani deos adhuc crederent rerum omnium moderatores, benignos piis, impiis iratos — illis, inquam, beatis civitatis Romanae temporibus uno animo, uno ore, uno ritu tutelares Gentium deos pie casteque colebant Gentiles, qui, dum officiosi erant erga se invicem, pii erga ipsos, qui Gentiles tuebantur, deos, eosque sibi reddere propitios, dum vero se invicem lædebant, ipsos, qui Gentiles tuebantur, deos lædere credebantur, eorumque excitare iram; qui pro diis patriis et ea, quam isti curabant, Gente quævis experiebantur, cum iis, qui patrios deos et Gentem deseruissent, nullam salutis curam esse videretur. Et hac lance dictum ponderandum est CICERONIS *): *Magnum est, iisdem uti sacris!*

§. 8,

SEPULCRA jure Manium veteris Romæ, erant *monumenta* teste FLORENTINO **). — *Diis Manibus dicata* — quod omnes omnium sepulcrorum testantur inscriptiones — *privata auctoritate* ***), *per justam videlicet sepulcrum*, — juxta CICERONEM ****), qui, *siti*, inquit, *dicuntur illi, qui conditi sunt; nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta sunt.* Deos autem Manes, id est, ut APULEJUS *****) testatur atque PLOTINUS †), *defunctorum animas* circa sepulcra plerumque oberrare cre-

*) de Offic. Lib. I. C. 17.

**) L. 42. D. de religiof.

***) L. 6. § 4. D. divis. rer.

****) de Legib. Lib. II. c. 22.

*****) Lib. de deo Socrat.

†) AUGUSTIN, de civitat. Dei Lib. III. c. 13.

credidisse Veteres, KIRCHMANNUS ††) tradit. Propterea isti, teste Au-
sonio, †††) nunquam non accedebant sepulcris cum reverentia et vene-
rabili defunctorum recordatione, eorumque Manibus ibi parentabant
puro animo et casto; unde OVIDIUS ††††):

Innocui veniant: procul hinc, procul impius esto

Frater, et in partus mater acerba suos!

Parentalibus enim, quibus, auctore KIRCHMANNO *), delectari credebantur Manes, placare eos volebant Veteres; unde idem poeta. **):

Est honor et tumulis — animas placate paternas!

Parvaeque in extinctas munera ferte pyras!

Parva petunt Manes. Pietas pro divite grata est

Munere. Non avidos styx habet ima deos.

Tegula projectis satis est velata coronis,

Et sparse fruges, parvaeque mica salis,

Inque mero mollita Ceres, violaeque solutae —

Hec habeat media testa relicta via!

Nec majora veto: sed et his placabilis umbra est.

Et propter hunc Manium cultum ad sepulcra iis dicata atque aris
instrueta ***) celebratum, religiosa ista habebantur loca ****) quae multa,

††) de funerib. Roman. Lib. III, c. 13.

†††) In praefat. parentat.

††††) Fast. Lib. II.

*) L. cit. Lib. IV, c. 5.

**) Fast. Lib. II.

***) KIRCHMANN. de funerib. Roman. Lib. IV, c. 2;

****) L. 6. §. 4. D. de divis. rer.

ut inquit CICERO *), *jura religiosa complectebantur*. Hinc sepulcra res erant divini juris et nullius in bonis **); hinc sepulcrorum nullus usus a religione alienus ***), nulla alienatio ****), nulla venditio *****), nulla oppignoratio †), nullum legatum ††); hinc sepulcrorum violatio scelus tam nefarium habitum Romanis, tamque flagitiosum †††). Hinc ex mente legumlatorum Romanorum perpetua erant sepulcra, sicuti sacra, unde CICERO ††††): *majores nostri statuas multis decreverunt: sepulcra paucis. Sed statuae intereum tempestate, vi, vetustate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest, atque, ut cetera extinguuntur, sic sepulcra sunt sanctiora vetustate*. At enim vero omnia sepulcrorum genera ex KIRCHMANNI libro exseribere hic non juvat. In iis modo acquiescamus, quae ad nostrum pertinent institutum, et Gentium erant Romanarum atque sacris privatis adjuncta, secundum CICERONEM †††††) qui, *jantanta*, inquit, *religio est sepulcrorum, ut, extra sacra et gentem inferrri, fas negent esse*. Istorum autem sepulcrorum alia erant *gentilitia*; alia *domestica*: illa pro universa aliqua gente constituta erant †††††); haec pro singula aliqua in Gente domo ††††††): illa sacris gentilibus adjuncta erant; haec sacris domesticis: illa omnium inter se Gentilium communia erant; haec eorum tantum, qui ejusdem erant domus. Hinc sepulcra domestica morte

pa-

*) de Legib. Lib. II. c. 22.

***) L. 1. pr. D. de divis. rer.

****) L. 12 §. 1. D. de religiof.

*****) L. 6. pr. D. de contr. erit.

†) L. 2. C. de religiof.

††) Ibid.

†††) L. 14. C. de legat.

††††) KIRCHM. de funerib. Roman. Lib. III, c. 26.

†††††) Philippic. IX c. 6.

††††††) de Legib. Lib. II. c. 22.

†††††††) CHLADEN, de Gentilit. veter. Roman. c. 7. §. 7.

††††††††) L. 5. D. de religiof.

patrisfamilias ejus stirpi transmittentur cum sacris *); ejus rei vestigium extat in imperatorum, **DIOCLETIANI** et **MAXIMIANI** rescripto **): quod jus sepulcri familiaris ad familiam, etiamsi nullus ex ea heres sit, pertineat. En! originem sepulcrorum *familiarium*, communium eorum; qui ejusdem stirpis erant. *Magnum autem est*, inquit **CICERO** ***). *habere sepulcra communia!* Cara enim ea quam maxime erant Romanis; infortunium isti putabant, patrio carere sepulcro ****); istius flagrant desiderio *****), et reliquias peregere mortuorum e terra peregrina in patrium monumentum reportabant *****); sedes sepulcra putabant Manium, sicuti templa deorum, hisque æquiparabant illa, nec quidquam Romanis antiquius erat delubris deorum, majorumve sepulcris, ut nihil in pugna discrimine militum animos magis excitaret, quam si pro deorum aris et sepulcris majorum dimicare monerentur, quasi ad discrimen ultimum devenissent, cui supervivere pueret †); aras in sepulcris sacra- bant Manibus, eosque ibi parentando placabant, nec ulla tamen Gentili spes, Manes habendi placatos, qui Gentiles læderet, qui erga eos officium desereret; offensus tum credebantur Manes, nec ulla impio Gentili salus, nec ulla animi tranquillitas. Iidem itaque Gentilium Dii, iidem et Manes, et idem salutis fons: Gens vero societas religiosa, et religiosa in ea Gentilium erga se invicem officia, quæ salva salute negligi non poterant. — — Quid legumlatorum Romanorum in jure tum deorum, tum Manium condendo mentem magis manifestet?

§. 9.

*) §. anteced.

**) L. 13. C. de religiof.

***) de offic. Lib. I. c. 17.

****) **CATULL.** ad Manl. v. 95. seq.*****) **QVID.** Trist. Lib. III. eleg. 3. v. 65. Vid. et inscriptio a **MARQ. FREHERO** exhibita in **EV. OTTO.** Thef. Iur. Roman. Tom. I. p. 895.*****) **KIRCHM.** de fun. Rom. Lib. III. c. 7.†) **GUTHER** de jure Man. Lib. III. c. 1.

DIGNITATEM Gentium Romanarum, et *patriciatu*, et *nobilitate* æstimatam fuisse, innuit CICERO *), qui, L. Murenæ dignitatem generis defensurus contra Serv. Sulpicium: *contemsi*, inquit, L. Murenæ genus: *extulisti tuum* Quo loco si tibi hæc sumis, nisi qui patricius sit, neminem bono genere esse natum, facis, ut rursus plebs in Aventinum sevocanda esse videatur: *sin autem sunt ample et honestæ familie plebejæ, et proavus L. Murenæ, et avus prætores fuerunt, et pater, cum amplissime atque honestissime ex prætura triumphasset, huc faciliorem huic gradum consulatus adipiscendi reliquit, quod is, jam patri debitus, a filio petebatur.* PATRICIATUS autem his fere originetenus constabat prærogativis: ut cives, qui eo gaudebant, soli in senatum legerentur **); habere possent auspicia ***), et aspirare ad sacerdotia et magistratus populi Romani, atque nobilitatem ****); Gentilitatem sibi vindicarent *****), et jus patronatus in plebejos suos clientes *****); sacris denique patriciorum uterentur †). Hinc civis Romanus, hisce prærogativis, aut lege adeptis, aut sanguine ††), insignis, *patricius* erat, sicuti Gens *patricia*, cujus Gentiles omnes patricii erant. Nec non *patricia* esse poterat singula in Gente *stirps*, ex stirpite videlicet, qui patriciatum primus, non sanguine, sed cooptatione adeptus erat, oriunda, quemadmodum et *domus*, si quis paterfamilias primus lectus esset in patres; licet tunc reliquæ istius Gentis stirpes aut domus ad plebem per-

*) pro L. Murenæ c. 7.

**) DIONYS. Antiquit. Roman. Lib. II.

***) LIVIUS Lib. VI. c. 41.

****) DIONYS. I. c. et LIVIUS. Lib. VI. c. 37.

*****) LIVIUS Lib. X. c. 8.

*****) DIONYS. I. c.

†) LIVIUS Lib. IV. c. 2. et Lib. X. c. 23.

††) Id. Lib. IV. c. 4.

pertinebant, et univerſa Gens nec patricia erat, nec plebeja, ſed *mixta* *). Quanta vero Gentium patriciarum fuerit dignitas, quanta auctoritas atque vis in adminiſtranda Republica Romana, ipſæ docent patriciorum prærogativa, per quas ſolas aditus patebat ad honores, ad ſacerdotia, ad magiſtratus populi Romani. Et quamquam iſtæ prærogativæ maximam partem ereptæ ſunt paullatim patriciis et communicatæ cum plebe, quædam tamen reliquæ Gentibus patriciis, vigente libertate, ſemper manebant **) et vetuſtas, et ſemel parta nobilitas, quæ tum inſtar illarum, in Republica Romana valebat, *ex imaginibus videlicet oriunda* ***). Non omnium enim Quiritium imagines eſſe voluerunt legumlatores Romani, ſed eorum tantum, qui *magiſtratus curules* geſſiſſent ****). Magna enim inde erat gloria, et ſplendida claritas, ejuſque memoria imago, quæ poſteritati prodebat; unde CICERO *****): *Nunc ſum designatus ædilis — ob earum rerum laborem et ſollicitudinem fructus illor dator, antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicende locum, togam prætextam, ſellam, curulem, juſ imaginis ad memoriam poſteritatemque prodende.* Cives itaque Romani imaginibus clari, *nobiles* erant, eoque nobiliores, quo plures oſtendere poterant majorum imagines: quem quippe morem perſtrinxere SENECA *****), IUVENALIS †) et LUCANUS ††). Hinc nobilis exiſtimabatur Romanis *Gens*, quæ imagines numerabat in ſtemmate Gentilicio uſque ad ejus fontem; *Stirps*, quæ imagines incipiebat a Stipite; *domus* denique, quæ ſola patrifamilias imagine clarebat. Quemadmodum

ve-

*) ONUPH. PANVINUS de nominib. Roman. in GRAEV. Theſ. antiquit. Roman. Tom. II. p. 2018.

**) SIGON. de antiq. jur. Roman. Lib. 2. c. 7.

***) CRAM. Comment. de nobilitat. avit. c. II. §. 3.

****) Ibid.

*****) Verr. v. c. 14.

*****) Epist. 44.

†) Satyr. 8.

††) ad calp. Piſon.

vero, antequam jura patriciorum communicata erant cum plebe, solus patriciatus Gentibus patriciis: sic postea nobilitas Gentibus nobilibus, et patriciis et plebejis viam ad honores, ad sacerdotia, ad magistratus populi Romani pandebat, iisque ad potentiam, ad opes, ad totum tantumque Gentium Romanarum splendorem, quantum, ut CHLADENI *) verbis utar, *nec ulla atas, aut ulla tellus et Respublica unquam viderat, nec, nisi tot testimoniiis firmata, fidem apud posteros habere poterat.* Quid igitur cuilibet Gentili antiquius esse debebat, quid magis cordi, quam, ut Gentis suae conservaretur dignitas atque amplificaretur, summo studio, summis viribus niti, juvando Gentiles suos, et defendendo ab ignominia, et ad honorem promovendo atque gloriam? Gentiles enim suorum aliquem adjuvantes et conjunctis studiis promoventes ad summos in Republica honores, Gentis dignitatem augebant atque splendorem, qui largos fructus in eos redundabat: Gentiles vero suorum aliquem deserentes et adversantes ei, ne ad ullam amplitudinem perveniret, aut claritatem, sed obscure vivere oporteret, Gentis nocebant dignitati, cujus detrimentum iis sentiendum erat. Magnam proinde communi Gentium dignitate legumlatores Romani introducere necessitudinem, quae jubebat officia, a quocunque observanda Gentili, qui sibimetipsi recte consulere studebat.

§. 9.

NOMEN GENTILICIMUM, simpliciter quoque observante PANVINIO **), dictum nomen, *proprium erat* teste TITIO PROBO ***), *Gentis, coque secundum SCAEVOLAM ****), omnes inter se Gentiles uti oportebat.* Istud vero nomen distinctum erat a PRAENOMINE, quod videlicet, *nomini praepositum*, auctore TITIO PROBO *****), *proprium erat*, juxta VARRO-

NEM

*) de Gentilit veter. Roman. c. XI. §. 10.

**) de nominib. Roman. in GRAEVII Thes. Antiquit. Roman. Tom. II. p. 1993.

***) Epit. Lib. X. Valer. Maxim.

****) CICER. Topic. c. 6.

*****) L. cit.

NEM^{*)}), *singulorum Gentilium*. Utrumque dein discernebatur a COGNOMINE, quod, uti docet PANVINIUS^{**)}, *nomini postpositum primo quidem proprium erat singulorum Gentilium, deinceps vero ab eorum, qui primi id acceperant, posteris memoria causa quandoque retentum et proprium stirpis factum, ita tamen, ut ejusdem stirpis Gentiles id relinquere, aut mutare pro arbitratu possent.* Cum itaque nomen Gentilicium ex mente legumlatorum Romanorum commune esset omnium ejusdem Gentis, idemque perpetuum et immutabile atque ita comparatum, ut, donec ullus quisquam superesset Gentilis, omnium, qui ejusdem erant Gentis, aut fuerant unquam, memoria conservaretur; cum Romani, ut ex instituto docet TROTZIUS^{***)}, flagrant cupiditate propagandi sui memoriam: non poterat non ex nomine oriri Gentilium necessitudo atque officium, sese invicem adjuvando et promovendo ad gloriam et splendorem, claram atque splendidam conservandi sui memoriam. Quin et alio respectu magna vis necessitudinis inerat nomini. Cum enim, secundum PANVINIUM^{****)}, a nomine auctoris Gentis proprio id esset derivatum flexu ejus ultima syllaba in *ius* ut Gentis origo ejusmodi derivatione significaretur, juxta illud VARRONIANUM^{*****)}: *ut in hominibus quaedam sunt cognationes et gentilitates: sic in verbis. Ut enim ab Aemilio homines orti, Aemilii et Gentiles; sic ab Aemilio declinatae voces in gentilitate nominantur;* — cum id, ab auctore Gentis ortum et sanguine propagatum ad Gentiles, eorum significaret cognationem: tota nomini Gentilicio inhærebat cognationis vis, quæ, ut inquit CICERO, benevolentia devincit propinquos et caritate; quæ apud omnes peræque omnium terrarum et temporum populos principium est fuitque societatis familiaris; qua sola homines, ex eodem sanguine orti, effi viventes extra societatem civilem, in unam jam coalescunt familiam; quæ

C 2

*) De Ling. latin. Lib. VIII.

**) L. cit. p. 2036. seq.

***) In Lib. de memor. propagat.

****) L. cit. p. 1995.

*****) De Ling. latin. Lib. II.

quæ in societate civili regitur tantum atque moderatur rationibus singularum civitatum propriis, quæ in earum qualibet singularem dant familiarum formam et statum; quam in civitate Romana et moderatam invenimus sacris, sepulcris, dignitate et nomine Gentibus tributis; quæ sic moderata singularem formabat Gentium Romanarum statum; quæ non omnes cives Romanos, sanguine conjunctos, ejusdem Gentis esse sinebat et inter se Gentiles; quæ ab illa arcebat Cognatos, qui vel sine iustis nuptiis nati, matrem sequebantur*), familiæ finem**), vel legitime procreati, conjuncti erant, aut per feminas, e quarum familia exulabant***), aut per mares, et familiam amiserant capitis diminutione****); quæ in gente fovebat tantum cognatos, qui, legitimo sanguine per mares conjuncti, nec egressi e Gente, ejus sacrorum, sepulcrorum, dignitatis et nominis participes erant; quæ istos Gentiles naturali sanguinis vinculo, adjunctis illis vinculis civilibus, tantopere firmato, conjungebat quam arctissime et redigebat in societatem, quæ corpus quasi erat, uno bono, uno utili, uno in id intento ac fervido studio animatum, cujus membra juncta sibi erant mutuis sese invicem opibus suis et facultatibus adjuvandi officiis, unde id, quod jam indagandum erit, *bonorum* inter Gentiles *communio* nascebatur.

§. 11.

BONA hic accipio pro *rebus humani juris et privatis, quæ in patrimonio erant uniuscujusque Gentilis sui juris*. Bona enim peregrinorum eorumque civium, qui Gentem non habebant, veluti libertorum, hæc nil attinent: Gentiles vero alieni juris nullum habebant patrimonium jure Romanorum antiquo*****). Cuique licet Gentili in patrimonio erat

*) L. 24. D. de stat. homin.

**) L. 195. §. ult. D. de verb. signif.

**) L. 196. Eod.

****) L. ult. D. de capit. minut.

*****) ULPIAN, fragm. Tir. XX. §. 10. et pr. *lyst.* Quib. non est permiff.

POESTAS, id est, *ius exercendi dominium*, illa tamen qua univcrsa Gentilium bona distincta erant in *singula* patrimonia propria uniuscujusque Gentilis potestate, non impediabat, quo minus ista bona *universa* totius Gentis omniumque in ea Gentilium communia essent *dominio*, eadem fere ratione, qua SENECA de bonis civium ratiocinatur his verbis *): *fines Atheniensium, aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt et totus ager huius, aut illius Reipublicæ est, pars deinde suo domino quoque censeatur; ideoque donare agros nostros Reipublicæ possumus, quamquam illius esse dicantur: quia aliter illius sunt, aliter mei.* Statuamus igitur: 1) Singula patrimonia singulorum Gentilium propria fuisse potestate; 2) univcrsa patrimonia omnium inter se Gentilium communia fuisse dominio. Primam istius sententiæ partem quod attinet, circa eam remorando tempus perderem: altera vero obscura et ambigua majorisque indaginis esse videtur; quapropter meum jam erit, in istam dirigere disputationem et tentare, an dicendo eam reddere possim probabilem.

§. 12.

Vt vero hauriamus ex genuino istius communionis fonte, et veterum scriptorum testimonia probe intelligamus, ante omnia revocandum erit in memoriam, Gentiles tam multis vinculis tamque validis, maximam partem propriis Romanorum, eorumque moribus introductis, aut legibus, arctissime conjunctos et una plerumque habitantes Roma, ibidem ex legumlatorum Romanorum mente unum quoddam constituisse corpus **), una salute et uno in eam intento studio animatum, cujus ipsimet illi membra mutuis id nutrire debebant officiis. Cum itaque cujusque Gentilis *civile* esset officium, totius Gentis suæ salutem promovere opibus suis et facultatibus easque sibi comparare eo animo, ut totius Gentis necessitatibus sublevandis inservirent: colligere est, Legumlatores Romanos cujusque Gentilis patrimonium, non ei tantum, sed toti ejus Genti acquisitum, proinde omnium inter se

*) De Benef. Lib. VII. c. 4.

**) L. 195. §. 2. D. de verb. signif.

se Gentilium commune esse voluisse. Et hanc conclusionem, firmat CICERO *), dum prima, inquit, *societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia*: hanc firmat quoque PAULLUS **), qui in suis, ait, *heredibus evidentius apparet, continuationem domini eo rem producere, ut nulla videatur hereditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui etiam vivo patre quodammodo domini existimantur: unde etiam filius familias appellatur sicut paterfamilias, sola nota hac adjecta, per quam distinguitur ab eo, qui genitus sit. Itaque post mortem patris, non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur. Nec magni momenti est, quod occinit BREUNINGIUS hisce verbis ***)*, si Paullus de Agnatis et Gentilibus idem scripsisset — et paullo post: *iam suum heredem Paullus dicit dominum: Agnatus vero et Gentilis non sunt inter heredes sui: hinc nec domini sunt ex mente Iulii. Nonne, in suis heredibus evidentius apparere, inquit Iulius? nonne per se evidentius innuit aperte, se idem sentire de Agnatis et Gentilibus idemque in iis esse revera, licet non tam evidenter appareat in Agnatis et Gentilibus, quam in Suis? Quin CICERO ****) disertis verbis inquit: cum propinquus, quos liberis opponit, communem plerumque esse fortunam, id est, bona seu pecuniam; quo scilicet sensu ista vox ab eodem accipitur alibi ****), nec non ab HORATIO †), LIVIO ††) et ULPIANO †††). Et ne hocce quidem Ciceronis testimonio acquiescendum est. Iam PLINIO, Panegyrista, testimonium denunciare licet. Ille enim, Latinus ejus ævi, quo jura Gentilitatis in viridi adhuc erant observantia apud Romanos, Scriptor præstantissimus, in panegyrico, Trajano ex fenatus con-*

*) De offic. Lib. I. c. 17.

**) L. II. D. de liber. et posthum.

***) Diss. cit. c. 3.

****) De offic. Lib. I. c. 17.

*****) De amicis. c. 16.

†) Epist. Lib. I. epist. 5. v. 12.

††) Lib. III. c. 68.

†††) L. 16. pr. D. ad Sctum Treball.

consulto dicto in senatu, cum Trajani benignitatem laudasset ex ejus severitate, qua tum ararium cohibuerat, tum fiscum in gratiam populi Romani, dicendo procedit ad ararium militare ab Augusto institutum *), laudaturus et Traiani liberalitatem, qua quibusdam remiserat vicefimiam, vectigal in istud ararium ex instituto Augusti inferendum ab hereditatibus et legatis, quæ cuique obvenissent testamento *πινυ των παυου συγγενων και περιητων* **), id est, exceptis pauperibus omnibusque omnino propinquis ***) ad quos lege XII. Tabularum hereditas ab intestato pertinebat****), quippe qui ex instituto Augusti immunes erant ab illo onere vicefima. Et tum Panegyrista *****), *onera, inquit, imperii, pleraque vectigalia institui, ut pro utilitate communi, ita singulorum injuriis, coegerunt. His vicefima reperta est, tributum tolerabile et facile heredibus duntaxat extraneis, domesticis grave. Itaque illis irrogatum est: his remissum.* Ex ista loco præfatis apparet, heredes domesticos, quibus remissa erat vicefima ab Augusto, Plinium dicere omnes heredes Gentiles, ad quos lege XII. Tabularum hereditas ab intestato jam pertinebat. Audiamus istius immunitatis rationem, quam ita tradere pergit Plinius: *videlicet quod manifestum erat, quanto cum dolore latui, seu potius non latui homines essent, desringi aliquid atque abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quæque nunquam, ut aliena et speranda, sed ut sua semperque possessa ac deinceps proximo cuique transmittenda, cepissent.* Quid evidentius esse poteit, quid fide dignius isto Plinii testimonio, Ciceronis et Paulli effatis firmato, tamque consentaneo indoli status Gentium Romanarum?

§. 13.

*) LIPS. OPER. Tom. III. p. 703.

**) DIO CASS. Lib. LV.

***) CHLADEN de Gentil. veter. Roman. c. XIII. §. 8.

*****) SPANHEM. Orb. Roman. Exercit. II. c. 14.

*****) Panegyric. c. 37.

Quo facilius jam est intelligere, bonorum obtinuisse inter Gentiles communionem, eo forsan difficilius videatur conciliare istam uniuscuiusque Gentilis in patrimonio potestati, qua jus ei erat, pro arbitrio exercendi dominium, alienandi *) ac testandi **) sicque nunquam non eripiendi reliquis Gentilibus dominium. Ejusmodi potestas primo sane intuitu omnem vim fastulisse potest videri communionis, eamque redigisse ad vanam, quae nullos produceret effectus, imaginem atque indignam, quae anxie curetur operoseque e vetustatis tenebrose latebris in lucem protrahatur. Sed salva res est, modo eam attentius inspicere et penitus investigare velimus. Seligamus itaque aliquas insigniores species, in quibus bonorum communio Gentilicia vim suam, non obstantem illa in patrimonio potestate, exhibuisse videtur.

1) *Si quis Gentilis potestate sua recte uti non posset.* Contingere id poterat vel ex *infirmitate aetatis*, ut in impubere et mare et femina, vel ex *imbecillitate sexus*, ut in femina pubere, vel ex *dementia*, ut in mare pubere et furioso. Ejusmodi igitur Gentiles recte uti non poterant potestate in patrimonio, quod proinde in illorum manu periisset. Id vero aequo animo ferre non debebant reliqui Gentiles, tanquam domini, quorum bona in tanto versabantur periculo: Sed istorum potius erat officium, bona sua conservare et suscipere administrationem patrimonii, quod is, cui in eo erat potestas, bene gubernare non poterat. Et hocce Gentilium officium ex communiione Gentilicia natum sanxissent opinor Decemviri tutelam ordinando:

a) Tutelam videlicet *impuberum* lege a GOTHOFREDO restituta ***):
Si paterfamilias intestato moritur, cui impubes heres escit, Agnatus proximus tutelam nancitor.

b) Tu-

*) Fragm. XII. Tab. VI. L. 1.

**) Ibid. Tab. L. 1.

***) Fragm. XII. Tab. V. L. 2. c. 4

b) Tutelam *feminarum*, de qua an cautum fuerit lege XII. *Tabularum* decernere quidem non audet GOTHOFREDUS *), me vero dubitare vix sinit ULPIANUS **), qui, *legitimi*, inquit, *tutores sunt, qui ex lege aliqua descendunt: per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege XII. Tabularum introducuntur, seu propalam, quales sunt Agnati, seu per consequentiam, quales sunt patroni.* Agnati itaque legitimi tutores descendebant ex lege XII. *Tabularum*, et quidem *propalam*, id est ***), expressis verbis. Atqui idem ULPIANUS agnatos legitimos *feminarum* tutores fuisse tradit ***): unde colligere est, Decemviros legem condidisse de tutela *feminarum*

c) Curationem *furiosorum*, lege a GOTHFREDO restaurata †): *si furiosus, aut prodigus existat, a se ei custos nec escit, Agnatorum Gentiliumque in eo pecuniave eius potestas esto.* Curationem dixi *furiosorum*, non *prodigorum*, fancitam fuisse illa lege Decemvirali, licet in eam *to aut prodigus* receperit Gothofredus, existimans, istam unicum legem de *furiosis* ac *prodigis* scripsisse Decemviros brevitatis maxime studiosos ††). At viro summo adfentiri non possum, cum lex XII. *Tabularum* *furiosum* quidem, seu qui *furiosus* existat: *prodigum* vero non quemcunque, seu qui *prodigus* existat, sed eum, cui *prodigalitate* causa bonis interdictum est, in curatione jubet esse *agnatorum* †††); quapropter *to aut prodigus* non adscripsisse illi legi Decemviros, sed aliam de *prodigis* condidisse legem opinor.

II. Si

*) Ever. Otto Thef. Jur. Roman. Tom. III. p. 104.

**) Frag. Tit. XI. §. 3.

***) SCHULTING. Jurispr. Antejust. p. 594.

****) Fragm. Tit. II. §. 8. junct. §. 6.

†) Fragm. XII. Tab. Tab. V. L. 2. c. 5.

††) Ever. Otto. Thef. Jur. Roman. Tom. 3. p. 170.

†††) Ulp. fragm. Tit. XII. §. 2

III. Si quis Gentilis potestate sua male abuteretur. Eiusmodi abusus fieri poterat:

(a) **PRODIGALITATE:** Si quis luxuria perderet patrimonium, aut incuria. Maximum inde emergebat damnum Gentilibus, quorum bona disperdebantur communia. Quid his igitur antiquius esse debebat, quam non solum curare, ut everfiori interdiceretur patrimonio, sed ejus quoque subire administrationem? Hinc istud officium sanxisse opinor Decemviros statuendo

a) Bonorum inredictionem, quæ ex lege XII. Tabularum descendens *), postulantibus Gentilibus et accusantibus prodigalitatem, causa cognita et probata, decernebatur a magistratu Romano hæc formulâ **) *Quando tu tua bona paterna avitæque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico,*

β) Curationem prodigorum quæ lege XII. Tabularum, pertinebat ad Gentiles, qui prodigalitatis accusatione impetraverant bonorum interdictionis decretum ***)

b) **TESTAMENTO INOFFICIOSO:** Siquis Gentiles immerentes præterisset testamento aut exheredes scripisset. Quid enim iniquius esse poterat, quid magis contra officium, quam testamento privare bonis communibus Gentiles, qui nulla impietate id meriti, officium suum pie semper coluerant? Id sane non tam usus videbatur liberæ testandi facultatis, quam abusus male conveniensi menti legumlatorum Romanorum. Et primis quidem civitatis Romanæ temporibus, cum in comitiis calatis, arbitrio pontificum, conderentur testamenta; cum puri adhuc essent Romano-

*) L. 1. pr. D. de curatorib.

**) Heineccii Elem. Iur. Civil. recensit. a Cl. Woltero §. 227.

**) Ibid. et Ulp. fragm. Tit. XII. §. 2.

rum mores atque casti, nec Romæ nota hereditarum ars captatoria — istis saltim temporibus ille abusus non metuendus erat legumlatoribus Romanis, aut curandus. Cum vero testamenta in comitiis calatis abiissent in defuetudinem; cum testamenta conderentur per aes et libram absque pontificum arbitrio; cum longius jam recessissent ab antiqua morum simplicitate Romani; cum innotescerent hereditarum artes et in dies adauctæ, per totam fere serperent civitatem Romanam *); iisque quotidie seducerentur testatores, ut, heredes scribendo hereditas et prætereundo Gentiles quantumvis bene merentes aut exheredando, impie testarentur et inofficiosi; cum ex ejusmodi liberæ testandi facultatis abusu frequenti inigne emergeret damnum Gentilibus, qui contra mentem legumlatorum Romanorum bonis communibus exuebantur — tum profecto certo juris remedio contra impietatem testatorum eorumque inofficiosa testamenta Gentilibus succurrendum erat. Hinc querela inofficiosi testamenti a prudentibus, boni et æqui cultoribus, inventa et perlata ad iudicium centumvirale, ibique deinceps rebus perpetuo iudicatis corroborata in morem Romanorum atque consuetudinem abiit **); hinc ista Gentilibus defuncti testatoris ab eo præteritis immerito aut exheredes scriptis proposita, ut conquererentur de impietate ejus, qui sese immerentes summovisset debita successione, ut vix sanæ mentis fuisse videretur, cum hereditarum delinimentis corruptus, testamentum tam inique ordinasset ***); hinc, causa cognita in iudicio centumvirali et probata, testamentum non ex officio factum pietatis nec mente omnino integra, rescissum, ut impii testatoris bona penes Gentiles, justos dominos, nec ulla impietate privationem bonorum communium meritos, remanerent, quasi ille intestatus decessisset ****)

D 2

§. 14.

*) *Corn. van BYNCKERSHOEK* de captat. Instit. c. 2.

**) *Corn. van BYNCKERSHOEK* Obs. Lib. II. c. 12. et cl. *ZEPERNICK* in *Diff. de legit. part. parent* §. 9. et 10.

***) L. 3. 4. 5. D. de inoffic. testam.

****) L. 17. 28. D. de inoffic. testam.

Testamentum inofficiosum manu quasi me duxit ad speciem, in qua potissimum sese manifestat bonorum inter Gentiles communio, et ejus illustrandæ causa statum Gentilium Romanorum legibus aut more introductum et natam ex eo secundum legumlatorum Romanorum mentem bonorum inter Gentiles communionem pro virium exiguitate exposui — ad hanc videlicet speciem: *siquis Gentilis intestatus decessisset*. Tum Gentilis in patrimonio potestas cum eo interibat morte, nec amplius vigeat in ultimo iudicio defuncti, qui, libera testandi facultate non usus, intestatus e vita excesserat; patrimonium, defuncti potestati non amplius subiectum in Gentilium superstitum, ut *συνδεδωκωσιν*, recidebat potestatem, tanquam suum semperque possessum *); dominium continuabatur a Gentilibus, iique non tam hereditatem percipere, quam liberam bonorum administrationem consequi videbantur **); hac ex causa, licet non essent heredes instituti, domini erant ***); vocabantur ad debitam successionem ratione naturali, lege quasi tacita ****), quam status Gentium referebat et nata ex eo bonorum communio, nulla etsi lege, quæ expresse ordinaret successionem gentiliciam, exstante. — En! verum, ni fallor, principium successionis gentiliciæ, quam firmarunt tantum Decemviri et certius definiunt sanctione illius legis a GOTHOFREDO restituta †): *ast si intestato moritur, cui suus heres necessit, Gentilis familiam heres nancitor*. Hanc itaque legem, non a Græciæ civitatibus petitam, neque descriptam a Lycurgi, aut Charondæ aut Zaleuci, aut Draconis, aut Solonis legibus, sed statui veterum Gentium Romanarum, regis legibus aut moribus ad istas conferyandas composito et natæ inde bonorum com-

*) PLIN, in panegyric. c. 37.

***) L. II. D. de liber. et posthum.

****) Ibid.

*****) L. 7. pr. D. de bon. damnat.

†) Fragm. XII. Tab. Tab. Tab. V. L. 2. c. 1,

nioni proxime superstructam opinor cum *Cornelio van BYNCKERSHOEK* *) : quam quippe sententiam fovere quoque videtur *Everhardus Otto* **), qui, *successio*, inquit, *genere proximorum Græcis legibus non fuit incognita, Decemviri vero ius quoddam subtilius commenti, nec simplicitatem naturalem, aut ius sanguinis et cognationis sed civilem quandam agnationis familiarisationem secuti sunt.* Quod si vero Decemviros commentos esse ius successionis, idque inventum ab illis et excogitatum dicit *Vir summus*, an ita recte statuerit, dubito, cum illam successionis legem, ante legislationem Decemviralem et a civitatis Romanæ incunabulis jam observatam, e legis aut moribus in XII. Tabulas translata esse a Decemviris, ad veritatem propius accedere mihi videtur. Nam

- I. Nulla civitas absque certa lege successionis, cujus incertitudo magnas excitaret turbas, salva esse potest ***). Quapropter
- II. Ne dubitare quidem licet, in civitate Romana bene ac sapienter ordinata a regibus, ante legislationem Decemviralem lege certa jam definitam fuisse successionem.
- III. Status Gentium Romanarum, indeque nata bonorum communio absque dubio antiquitate præcedunt legislationem Decemviralem; et cum ex isto fonte manavit successio Gentilicia, idem de ea dicendum videtur, sin aliter eadem causa eosdem semper in legislatione Romana produxerit effectus.
- IV. Hanc conjecturam quoad Suos, clare firmat testimonio *Dionysius* ****), qui, *uxor*, inquit, *si pudica fuisset et marito in omnibus rebus morem gessisset, erat familia domina æque atque ipse vir, et in ejus de-*

*) *Obf. Lib. II, c. 1.*

**) *Thef. Jur. Rom. Tom. III. in præfat. p. 16.*

***) *BYNCKERSHOEK Obf. Lib. II.*

****) *Antiquit. Roman. Lib. II.*

defuncti bona, ut filia in patris, heres succedebat; et si sine liberis et in-
testatus obiisset, erat omnium bonorum relictorum domina: si autem li-
beros habuisset, ex aequo cum liberis bonorum particeps erat.

V. Cum, interdictionem bonorum eique adjunctam prodigorum, qui-
bus bonis interdictum erat, curationem, quæ ad Agnatos Gentilesve
pertinebat, ante legislationem Decemviralem jam obtinuisse tradit
VLPPIANUS *): quid est? quod idem credere dubitemus de tutela le-
gitima, quæ ex eodem cum illa manavit fonte, præsertim cum id
innuere videatur de tutela feminarum CATO **), dum majores non
sunt — non Decemviri, sed majores usque ad civitatis primordium —
nullam inquit, ne privatam quidem rem, agere feminas sine auctore vo-
luerunt, in manu esse parentum, fratrum, id est, interpretante CHLA-
DENTIO ***), Agnatorum Gentiliumve: quid est? quod idem crede-
re dubitemus de legitima Agnatorum Gentiliumve successione, quæ,
sicuti tutela et curatio, ex bonorum communione oriunda ****),
non potest fere non esse illis coætanea, præsertim, cum successio-
nem tutelæ esse sequelam doceant iure consulti *****), et IUSTINIA-
NUS †) argumentum sumat a successione ad tutelam, proinde
successio et tutela legitima pro conjunctis habeantur in jure Romano.

His itaque argumentis motus, legem illam successioneis Decemvi-
ralem, non commentam et excogitam a Decemviris, sed ab iis ex le-
gk-

*) L. I. pr. D. de Curatorib.

**) LIVIUS LIB. XXXIV. c. 2.

***) de Gentil. vet. Roman. C. VII. §. 3.

****) §. antec.

*****) L. 10. D. de R. I. junct. L. 73. pr. eod. et CASUS IUST. LIB. I. Tit. 7. §. 1.

†) Tit. Inst. de legit. patron. tutel.

gibus regis aut moribus in XII. Tabulas translata opinor eo magis, quo evidentius EVERHARDUS ORTO docet *), Decemviros in conscribendis XII. Tabularum legibus, neque negligere debuisse, neque neglexisse mores patrios atque leges. Ille enim **), *haud adeo, inquit, inepti nobis concipiendi sunt Decemviri, atate et prudentia graves, ut mores peregrinos promiscue proponere voluerint domesticis institutis: sed tales, qui, habita consideratione indolis populi Romani, sive probioris, sive vitiosioris, rerumque in Republica sua pridem iudicatarum memoria, tum comparatione status praesentis, et ordinum inter se relatione, omnia cum iudicio discussorint et ad Lydium utilitatis lapidem examinerint.*

§. 15.

Linquere jam liceret successione*m* Gentilic*iam*, nisi ipse ejus ordo quateret videretur fundamentum in bonorum communione positum. Nam si communio*n*is participes erant omnes inter se Gentiles, sive Sui essent, sive Agnati, sive Gentiles speciatim sic dicti: cur non et successio*n*is? cur ad eam non omnes simul vocabantur inter se Gentiles? cur primum Sui, exclusis reliquis? cur deinceps, Suis non extantibus, Agnati, exclusis, qui speciatim ita dicuntur, Gentilibus? cur hi denique, si nullus esset Agnatus? Primo saltim intuitu ejusmodi succedendi ordo male convenire videtur, omnium Gentilium communio*n*i, successio*n*is principio. Quod si vero Gentem Romanam, societatem compositam, in suas partes segregaverimus, societates minores; quod si Gentiles, quatenus vel ad universam tantummodo Gentem, vel ad ejus quoque aliquam pertinebant partem, inter se distinxerimus; quod si dein partite applicaverimus principium universale communio*n*is, ejusque inde ordinem deduxerimus, ordini universae Gentis ejusque partium conformem: tum ubique erit convenientia communio*n*is, principii successio*n*is, cum successio*n*e ipsa eo*que* succedendi ordine, quem statutum invenimus lege illa Decemvirali. Is itaque suscepti laboris erit finis, quo, quantum fieri poterit, pro-

F 2

*) Thef. Jur. Rom. Tom III. in praefat. p. 13.

**) Ibid.

peremus. GENTEM scilicet Romanam constituiebant *cives Romani* *), *ab auctore Gentis*, id est, *ab ultimo eorum stipite* **), *non solum cive Romano, sed etiam ingenuo per* ***) *, mares legitime descendentes, qui sapite non diminuti, in communione erant sacrorum, sepulcrorum, dignitatis, nominis, bonorum denique Gentis* ****): et isti cives Romani erant inter se *Gentiles*. Gens deinde discedebat in stirpes. STIRPEM etenim formabant *Gentiles descendentes a stipite, qui profectus erat ab auctore Gentis sanguine* ****); et isti Gentiles erant quoque *Agnati*. Ejusmodi vero *Agnatorum stirpem* quisque inchoare poterat *Gentilis a conditore Gentis descendens*. Quotquot itaque in stemmate Gentilicio lineæ rectæ a capite Gentis ductæ, quotquot in iis erant Gentilium descendentium gradus, tot *Agnatorum stipites* esse poterant atque stirpes ex iis oriundæ. Proinde in ejusmodi stemmate Gentilicio a totius Gentis stipite descendendi poterat ad primum gradum descendentium et stirpes inde oriundas, quas, tanquam partes, proxime complectebatur univèrsa gens: deinde ad secundum gradum descendentium et stirpes inde oriundas, quas tanquam partes, proxime continebant singulæ stirpes antecedentes: et similiter ad sequentes gradus ac stirpes usque ad eas, quæ proxime comprehendebant singulas domos. Domus vero constabat ex *Gentilibus* *isque Agnatis patrisfamilias potestati subiectis* †): et isti Gentiles et Agnati erant quoque *Sui*. Gens itaque Romana primum discedebatur in stirpes et quidem remotissimas: istæ iterum in alias proximiores — et sic porro, donec perventum erat ad stirpes proximas, quæ in singulas domus discedebant. Et secundum istam Gentis Romanæ divisionem Gentiles *proprie* appellabantur *Sui*, quatenus ejusdem domus; Agnati, quatenus non ejusdem domus, sed ejusdem stirpis; Agnati proximi, quatenus ejusdem stirpis

*) HEINECC. Antiquit. Roman. in Append. Lib. I. c. 1. §. 32.

***) L. 195. §. 4. D. de verb. signif.

****) CICER. in Topic. c. 6.

*****) vid. §. 10.

*****) L. 195. §. 2. D. de verb. signif.

†) L. 195. §. 2. D. verb. signif.

pis, non remotioris, sed proximæ; Gentiles denique, quatenus non ejusdem, ne remotissimæ quidem stirpis, sed ejusdem tantummodo Gentis erant. Quibus vero vinculis antiqua legislatio Romana colligaverat Gentem, eadem quidem continebant ex ordine stirpes atque domos, sed a stirpe remotissima usque ad proximam, crescente per quemcunque stipitem sanguinis propinquitate, magis magisque aucta et corroborata sacris familiaribus *) et sepulcris **) a quocunque stipite constitutis et stirpi proditis, dignitate ***) deinceps et cognomine ****) a quocunque stipite partis et ad stirpem propagatis, bonis denique a quocunque stipite acquisitis et stirpi transmissis *****). Ultimum vero ista vincula adipiscebantur augmentum et maximam vim in domo, non solum maxima sanguinis propinquitate, sacris domesticis et sepulcris a patre familias constitutis, dignitate et cognomine ab eo partis, bonis ab eo acquisitis, quæ omnia in domo erant communia †), sed et patrisfamilias potestate, qua ille regerat domum regia majestate et omnem rem privatam, cujus intuitu Sui in jure Romano habebantur pro una, quam paterfamilias agebat, persona ††). Hac igitur ratione quæcunque stirps ac domus singulares erant in Gente societates singularibus vinculis familiaribus aut domesticis colligatæ, ex quibus ita composita erat universa gens, ut *immediate* ea constaret ex stirpibus remotissimis, istæ *similiter* ex stirpibus proxime sequentibus, et sic porro usque ad proximas stirpes, quæ ex singulis domibus *immediate* constabant: hac ratione domus erat societas plurimis vinculis et validissimis maxime conjuncta, quam sequebatur stirps proxima, quam dein ex ordine sequebantur stirpes remotiores usque ad remotissimam, quam excipiebat universa Gens; hac ratione eundem ordinem tenere debebant ex mente legumlatorum Romanorum officia, eundem et ordinem honorum communio inde oriunda †††); hac tandem ratione ex com-

*) §. 7.

**) §. 8.

***) §. 9.

****) §. 10.

*****) §. anteced. n. 4.

†) CICERO de offic. Lib. I. c. 17.

††) CHR. GEBAYER Diss. I. de patr. potest. c. II. §. 10.

†††) §. 12.

communione ordine sponte sua manavit succedendi ordo, quem sanxere Decemviri, primum ad successione vocando Suos, dein, si sui non essent, Agnati proximi ex ordine, denique Gentiles, si nulli Agnati essent.

Hæc proferre volui ex parca mea suppellectili litteraria, ut communionem bonorum principium probarem antiquæ successione Gentilicæ Romanorum. Quod si isti sententiæ non ubique affundere potuerim puram veritatis lucem, id mihi opprobrium non erit penes æquos iudices et harum rerum peritos, qui bene sciunt, quam sit difficile, penetrare mentem legumlatorum, qui tam multis a nobis distant seculis, unde tam pauca supersunt rerum gestarum monumenta. Quod si vero istam sententiam reddiderim probabiliorem quacunq; alia, quam de illo principio hæctenus dixerint eruditi, id mihi non tam erit laudi, quam hujus Academiae Illustris Iureconsultorum Ordini, qui summus in jure honor non conferre solet, nisi in bene merentem.

Halle, Diss., 1788-91

ULB Halle

3


001 967 045




Sb.

v. 178







DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
PRINCIPIO SVCCSSIONIS GENTILICIAE
APVD
VETERES ROMANOS

QVAM
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS RITE OBTINENDIS
D. XXVII. SEPTEMB. MDCCLXXXVIII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIIICIT
IOANNES CHRISTOPHORVS DVISBERG
LVIDENSCHEDA - GVESTPHALVS.

HALAE,
APVD FRANCKE ET BISPINK.